



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis  
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis  
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum  
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

**Herlet, Johann Georg**

**Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.**

§. 18. Medium undecimum ad puritatem & teneritudinem conscientiæ  
obtinendam est mortificatio Odoratûs

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37853**

§. 18.

*Medium undecimum ad puritatem & teneritudinem conscientiae obtinendam est mortificatio Odoratus*

117. **Q**uamvis circa sensum *Olfactus* seu *Odoratus* possit alicui videri, non esse tantum periculum peccandi mortaliter; nisi cum quis ad finem mortaliter malum v. g. ad captandos illicitos amores odoriferis unguentis se perliniret. Nihilominus SS. Patres gravissimis universim verbis & sententiis perstringunt morem Clericorum & Monachorum, qui bene coram aliis olere affectant, tanquam puritatis interioris & Castitatis inimicum. S. Ephrem unguentum vocat *rem famineam*. S. Clemens Alexandrinus *lib. 2. pedagog. c. 8.* ait; *studium redolentiae esse hamum inertia, procul attrahentem libidinis faces; Et ex hoc inani studio à Sapientibus cognosci homines libidinosos.* In Concilio Oecumenico VII. Can. 16. jubentur puniri Episcopi illi, qui unguentis odoriferis utuntur. S. Cyrillus Hierosol. *Catechesi 12.* vult exterminari à vestibis *suffimentum, voluptatis inescativum.* S. Chrylostomus. *homil. 4. de Lazaro* ait: *Miles es spiritualis: talis autem miles non oblitur unguentis; nam ista cura est meretricis amoribus implicitorum, ac perditorum, scenicorum, mentisq; deplorata hominum. Te vero non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius animam, quoties corpus*

*pustalem habet fragrantiam: corporis enim ac vestium fragrantia arguit, intus latere animum graveolentem ac immundum. Quis enim preclarum aliquid aut bonae frugis opinabitur de eo, qui spirat unguenta? verè Poeta:*

*Non benè semper olet, qui benè semper olet.*

Et certè, si nihil mali aut periculi contineret hic unguentorum odoriferorum usus; nihilominus Religiosum virum, qui semper mortificationem Jesu Christi in corpore & carne suâ circumferre deberet, parùm decet, imò summo perè dedecet hujusmodi vanitas: Neque in totâ Antiquitate Religiosâ reperire est olfactoriola, aut balsamothecas: quia omnes nostri Majores timebant cenfuram S. Athanasii *lib. de Virginit.* dicentis, eos adhuc conjunctos esse sæculo, & pseudo-Ascetas appellandos, qui odoramentis gauderent.

§. 19.

*Medium duodecimum ad puritatem & teneritudinem conscientiae obtinendam est custodia Oris, & frænatio linguae.*

118. **N**Ecesitatem hujus mediî indicat Scriptura *Proverb. 13. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Et *Prov. 18.*

25

Mors